

## 4 Disputatio prima, Art. I.

I V.  
Ratio hu-  
mana evi-  
dentiissimè  
demonstratæ  
Deum esse  
omniscium.

Notandum secundò scientiam esse attributum Divinitatis ita ratione humana obvium, ut etiam silentे Scripturā, nemo non invictissimè reputaret Deum esse omniscium perinde ac rerum omnium creatorem atque administratorem: quis enim illicet non advertit creari nihil, multoq; minus administrari nihil sine intelligentia posse? Ac tū si deinceps attenditur ad magnitudinem, ad varietatem, ad pulchritudinem, ad perseverantem vicisitudinem, & ad mutabilitatem, ut ita loquar; immutabilem universi, quis in illius factore ac moderatore negabit adesse parem potestati notitiam, & ideo infinitam? Igitur quantum ignorari non potest Deum existere, & ab illo esse ac regi omnia, tantum ignorari rursus non potest cadere in Deum ignorantiam nullam posse: nam quomodo esse posset à Deo, aut regi à Deo res ignorata?

V.  
Si Deus  
non esset  
omniscius,  
neque po-  
tueretur dis-  
ponere: ne  
que idonee  
regere uni-  
versum.

Præterea quoque cùm res produci & plus minusve multiplicari, ac plus minusve conservari, & disponi & variari modis multis potuerint, necesse est Deo ad nullum ex illis per necessitatem ullam compulso, obvios ab æterno fuisse omnes, quos tam notitia suā prævenir, quā per electionem distinxit, & per potestatē efficit. Et sic quidem notitia, quā nulla evidenter, nulla certior, nulla major, nulla prior, nulla mirabilior possit intelligi, notitia est quam humana ratio capit ac demonstrat esse propriissimam Deo. Vel præterim quia talis notitia confert ad facilitatem operum omnium, ut videre est in artificibus, qui si perfici fuerint, facile operantur: & illa rursus operandi facilitas est propriissima Deo.

V I.  
Et hanc  
omniscienc-  
tiam S. Cy-  
rillus expo-  
nit doctissi-  
me.

Audiatur Cyrillus hoc utrumque Divinitatis characteristicum attributum paucis verbis sic exprimit Comm. in Joann. Lib. II. sub initio: *Soli quippe, inquit, natura Universi Reginæ, id est, Di-* vinitati, *competit cuncta nosse extra cuiusquam operam, eaque nuda* & aperta in oculis habere, & quodcumque velit facile persicere: & mox ut clarius explicet verba illa Joannis: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, &c.* & exponat simul quis sit ille spiritus Filio proprius, atque utique Divinus, per quem clarificatur, addit: *Clarificat itaque Filium Paracletus;* id est, proprius ejus spiritus, qui omnia potest & omnia novit; & sanè potest, quia novit. Nam ut nos multa novimus, quæ non possumus efficere; sed nunquam efficiemus si, ut par est, efficimus nisi noverimus; ita in Deo prius concipitur quod noverit, quā quod possit. Unde magis pater quā propria sit Deo omnis scientia; quā sublatā, tam non Deus est, quā nihil posset.